



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Veri & Pii Sacerdotis Idea Seu Vita R. D. Iacobi  
Merlo-Horstii, Pastoris B. Mariæ Virginis In Pascvlo  
Coloniæ, SS. Theol. Licent.**

**Crombach, Hermann**

**Coloniæ, 1645**

Ad Sextam.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14591**

Idea p̄ij Sacerdotis  
 quem in horto fudisti , per iniurias & dolores  
 quos à tuo Discipulo traditus & venditus , ab  
 impijs Iudeis ligatus & distractus sustinuisti ,  
 absolue meorum vincula peccatorum , trahē  
 & liga hanc animam meam , tibiq; adstringe  
 tripli c̄haritatis funiculo , qui dissolui non  
 possit , & in aeternum non separer à te . Qui  
 viuis , &c.

### Ad Primam.

Domine Iesu , qui horā diei primā Pilato  
 presentatus , Iudex cœlestis iudiciterreno , &  
 reus falsorum criminum ab impijs Pontifici-  
 bus factus fuisti ; succurre nobis miseris pecca-  
 toribus in iudicio ut non aeternis supplicijs cum  
 impijs condemnemur , sed tuis fidelibus iungi  
 in cœlestibus mereamur . Qui viuis &c.

### Ad Tertiam.

Domine Iesu , qui horā diei tertiā flagellū  
 casus , & spinis coronatus fuisti ; tribue nobis  
 famulis tuis , ut corpora nostra voluntariā ca-  
 stigatione macerantes , sub capite spinoso digna  
 senserī membra mereamur . Qui viuis &c.

### Ad Sextam.

Domine Iesu , qui horā diei sextā trans-  
 fossis manibus & pedibus , è Crucis ligno pepen-  
 disti , ijsdemq; clavis damnationis nostra chiro-

gra-

graphum in patibulo confixisti ; concede animæ meæ , ut liberata à seruitute peccati , has sanctissimas plagas tuas , tanquam insignia liberationis meæ semper feram in medio cordis mei . Qui viuis &c.

## Ad Nonam.

Domine Iesu , qui horâ diei nonâ consummatis omnibus inclinato capite Deo Patri Spiritum reddidisti , atque in mortuum hominum genus spiraculum vitæ inspirasti ; concede mihi peccatori , ut qui totum me tibi debeo pro me facto , totum me iterum reddam pro refecto , nec iam mihi , sed tibi , qui pro me mortuus es , in perpetuum viuam . Qui viuis &c.

## Ad Vespertas.

Domine Iesu , qui horâ vespertina è Cruce deponi mortuus in sanctissimæ Genitricis tua brachia voluisti ; concede propitijs , ut & cruce meam , quam mihi largiri protua bonitate volueris , nunquam in vita derelinquam , & in morte ex ea depositus , per clementissimæ Matris tuae manus ante te merear præsentari . Qui viuis &c.

## Ad Completorium.

Domine Iesu , qui horâ Completorij in se pulchro quieuisti , & à Matre tua mæstissima ,

D 6

&amp; ab